



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 13. Euthymius eodem currru in exilium vebitur, quo S. Ambrosius euehere volebat: Vxor eodem mariti feretro ad sepulchrum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

zurus bibere, quam poenas pro illa tanti homicidij culpa, tolerare Cumq; sibi ad os calicem duce-
ret, vir Domini compescuit, dicens: Non bibas,
da mihi, ego bibo, sed vade dic ei, qui tibi illud
dedit: Ego quidem venenum bibo, sed tu Episco-
pus non eris. Facto igitur signo crucis, venenum
Episcopus bibit securus. Eademq; hora in loco
alio, in quo erat Archidiaconus eius, defunctus
est, ac si per os Episcopi ad Archidiaconi viscera
illa venena transfjssent. Cui tamen ad inferen-
dam mortem venenū quidem corporale defuit.
Sed hunc, in conspectu aeterni Iudicis, venenum
sue malitia occidit. Quod sapius accidit,
quam animaduertatur, Deo Sanctos suos
protegente, & virus in veneficos refunden-
te. Liber Sabini facto cantu applaudere.

In sanitatem ceterorum ceteri,

Sed innocentes, si venenum misceas,

Sibi salutem, ceteris mortem bibunt.

§. XIII.

Euthymius eodem curru in exilium vehitur,
quo S. Ambrosium euehere volebat: Vxor
eodem mariti feretro ad sepulchrum.

Omnia elementorum exempla, quæ
recensuimus, in terra contigerunt, quam-
obrem etiam terræ possunt ascribi. Addam
tamen vnum alterumue adhuc peculiare,
quod

quod circa D. Ambrosium euenit, qui etsi, vt mundi incola, cum D. Paulo, non existimauit, se hîc habere manentem ciuitatem, & vt in prouerbio est, terram pro terra libenter commutasset, diuino tamen præsidio defensus est, ne in exilium mitteretur, eo ipso misso, qui illi exilium parauit. Ita

S Anto-
nin. part.
2. tit. 10.
c. 7. §. 1.

enim de eo scribit S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus. *Mediolanum reuersus, innumeras insidias & persecutiones passus est à Iustina Imperatrice matre Valentiniani iunioris Ariana, muneribus & honoribus contra eum populos concitante. Cùm autem multi ex Arianis præcipuè eum in exilium mittere niterentur, unus ceteris infelicior (nomine Euthymius) in tantum furorem excitatus est, vt domum sibi iuxta Ecclesiam Ambrosij locaret, hac de causa, vt in eadem quadrigam paratam haberet, quò procurante Iustina faciliùs raptum in exilium deportaret. Sed Dei iudicio ipsa die, qua eum rapere arbitrabatur, in eadem quadriga de eadem domo in exilium ipse pulsus est. Cui tamen Ambrosius reddens bona pro malis, sumptus & necessaria ministravit. Ita sæpe quis sibi parat malum, quod alteri parat, & quare alium vult in exilium vehere, vehitur ipse. Memini Augustæ aliquando virum*
ira

ita viribus defectum, vt pro deposito haberetur; cui vxor futuro mariti funere læta, jam capulum parari iusserat, & ante oculos constituebat. Hoc vbi vidit maritus nolens vxori tam improbæ moriendo gratificari, animo pariter ac viribus resumptis è lecto surrexit, offam comedit, & non secus, ac si numquam ægrotasset, foras ambulauit. Quod videns vxor in insaniam versa ipsa decubuit, & defuncta in illo ipso ferebro est elata, quod curauerat pro marito præparari; inciditq; in foueam sepulchri, quam marito fecit, sed ad D. Ambrosium reuertamur.

§. XIV.

Claudenti fores & aures, ne pauperes audiat, claudit & Christus suas fores & aures.

Alterum itaque eiusdem iustissimæ diuinæ vindictæ exemplum idem author, ibidem memorans ait: *Quadam die Ambrosius ad palatium Macedony magistri officiorum, vt pro quodam intercederet, venit. Sed cum fores clausas inuenisset, nec intrandi copiam habere potuisset, ait: Et tu quoque ad Ecclesiam venies, & non iannis clausis, sed apertis ingredi non valebis. Post aliquod tempus timens Macedonius inimicos, qui eum insequabantur, fugit*

R

ad